

DISSERTATIO CCCCVIII.

De inadequata Eucharistiæ materia, quæ est vinum. An vinum debeat esse vitigineum? An valeat Consecratio, si fiat in agresta, vel in botro? An sit valida, si fiat in musto, vel in aceto?



I.

Dicimus I. Materiam inadequatam Eucharistiæ debere esse vinum vitigineum.

Probatur ex Script. Matthei 26. *Non bibam amodo*

ex gemine vitis: Marci 14. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc gemine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam novum in Regno Dei. Lucæ 22. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

II. probatur. Solum vinum de vite proprie, & simpliciter dicitur vinum, sicut solum oleum de oliva proprie & simpliciter vocatur oleum: ergo si de fide est, quod Christus consecravit vinum, de fide pariter debet esse, quod Christus consecravit vinum vitigineum: ergo si Christus consecravit vinum vitigineum, materia inadequata Eucharistiæ est solum vinum vitigineum. Unde Bernardus, ad hoc exprimendum, in Sermone de Cœna Domini scripsit: „ Etenim ne humana infirmitas esum carnis, & potum sanguinis, in sumptione horreret, Christus velari, & palliari illa duo voluit speciebus panis, & vini, quæ inter humani generis victualia quodammodo tenent principatum. „

III. probatur, quia ita definitum legitur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III., & refertur in capite *firmiter*, de summa Trinitate fide Catholica; in Concilio Florentino sub Eugenio IV. in literis unionis; in Concilio Altitodorense IV. cap. 4. & in aliis.

IV. probatur ex antiquo, & perpetuo Ecclesiæ usu, quæ semper adhibuit vinum vitigineum in sacrificio Missæ; qui quidem mos ubique gentium in omnibus Catholicis Ecclesiis invaluit.

Dicimus II. nullam esse consecrationem, si fiat in agresta, vel in botro.

I. Conclusionis pars I. probatur. Agresta distat specie a vino, non minus quam sanguis a carne: ergo non est materia apta consecrationis. Probatur antecedens; quia agresta diversas habet a vino qualitates; hoc enim est digestum, illa vero indigesta; hoc odoriferum continet liquorem, illa penitus nullum; hoc habet virtutem calefaciendi, illa vero refrigerandi.

II. probatur. Agresta nondum habet vini speciem, sed tantum est in via ad illud: unde sicut confici non potest Corpus Christi ex pasta, vel ex massa, ita nec sanguis Christi ex agresta. Et ita docet S. Thomas 3. part. quæst. 74. art. 5. quem sequuntur, post Suarez disput. 45. sect. 1. & Cardialem de Lugo disput. 4. num. 8. omnes Theologi.

II. Conclusionis pars de botro, probatur I. quia botrum non est aptum, ut bibatur, sed ut manducetur; nos enim dicimus, manducare uvam, & non bibere; liquor autem, qui est materia inadequata Eucharistiæ, debet esse aptus, ut bibatur; Unde sicut materia conficiendi corpus est simpliciter res manducabilis, ita materia conficiendi sanguinem debet esse simpliciter res potabilis.

II. probatur, quia mustum, quod continetur in uva, non potest sufficienter designari per pronomen *hic*, quando di-